Cracoviensis Studior. Univ. Jagell.
Promotiones Ordinis Philosophor.

1698 30 Aprilis



Tomaszewski Alberti: Annulus desponsati honoris XXIV gemmis ordine alphabetico intertextus et XXIV VV. DD. Magisterii in artibus et in Philosophia doctoratus Licentiatis — dedicatus.

ANNULUS
DESPONSATI HONORIS,
XXIV. GEMMIS ORDINE ALPHABETICO
INTERTEXTUS;
&
XXIV. VV. DD. Magisterij in Artibus,
& in Philosophia Doctoratûs
LICENTIATIS;
DUM
In Alma Vniversitate Cracoviensi,
Regni Poloniæ Generali Athenæo,
PER
Clarißimum & Admodùm Reverendum Dominum,
M. MARTINUM OSLINSKI,
Philosophiæ Doctorem, ejusdemq; in Collegio Majori Regium & Tylicianum Professorem, ad Sanctam ANNAM Cracov: CANONICUM:
In Numeroso Illustrium & Nobilissimorum Hospitum conspectu, & Amplissimi Senatûs Academici præsentiâ,
Artium Liberalium Magistri,
& Philosophiæ DOCTORES,
RITU SOLENNI RENUNTIARENTUR,
AB
ALBERTO TOMASZEWSKI,
Artium Magisterij & Philosophiæ Doctoratûs Licentiato,
Publicæ gratulationis ergò,
DEDICATUS.
Anno Desponsati in Carne Verbi 1698. Pridie Calend. Maij.
CRACOVIÆ, TYPIS VNIVERSITATIS.



ILLVSTRISSIMO,
&
EXCELLENTISSIMO DOMINO,
D. STANISLAO
COMITI in Leſzno
LESZCZYNSKI,
Pocillatori Regni Poloniæ,
ODALANOVIENSI GUBERNATORI, &c.

Domino & Mecænati Ampliſſimo.

PRimitias laboris mei, in Annulum laureati honoris congeſtas, profundæ magis venerationis candore, quàm gemmantibus literis ornatas, Tuo Gentilitio proſterno Capiti, ILLVSTRISSIME & EXCELLENTISSIME DOMINE. *Decuit equidem Tuæ meritorum amplitudini, hoc literarij officij mei ſtudio, me fieri vectigalem, & nouellas Academicarum Laurearum, ſub Tuis auſpicijs virorem aſſumere; cuius auguſta Proſapia, Palladi Iagelonicæ ſecurum ſæpenumerò conceſſit Patrocinium, meq; ipſum ſingulari gratiarum munimine eòvſq; ſeruauit. Iure, quidem naturæ, ad Caput membra confugiunt, vt corporis conformem ſymmetriam manifeſtent; & coronas, ſi quæ priſcæ, honoris loco fuêre ætati, Capita ſibi vendicant; vt laudabilium facinorum opera pulchro, probatoq; omnium ſenſu, ſpectaculo æſtimentur. Mihi tamen ius obligationis obvenit, vt cùm ad Gentilitium Tuum Biſontis Caput fugio; eam, quam totus Lechicus cultu proſequitur Orbis, virtutum Tuarum meritorumq; excellentiam, hâc paginâ recognoſcam. Nimirum ſpectata nuper tot rebus in arduis, & ſupra fidem con-*

stanter ab omnibus æstimata prudentia Tua, cui integer Electoralis campus, ius suum omne, ac primam potestatis aream, principali lege concredere voluit, grande virtutum Capitolium aperit, ad quod, omnium scientiarum exacta cognitio comes, simul ac immensa Antecessorum Tuorum in Rempublicam merita, vno intuitu ad stuporem manifestantur. Hinc raro exēplo, in hac ætate, & rerum statuendarum prudens consilium; illinc ingens amor Civium Patriæ, & mens tot heroicis virtutibus in vastam congesta speciem circumstant: hinc suada ciuilis, legum patriarum cognitio, sapientia, amor boni publici, grauitas morum, quandam maiestatem efformant; illinc admiratio & è tanti Sāguinis Nexu congesta, quas in alios natura spargere solet, animi & fortunæ dotes magnificentiam concedunt; vt nullus omnino sensus populi sit, qui Te summis Patriæ curis, Superûm favore destinatum, & magno aliquando bono, diu provisum non fateatur, ipso Tuæ augustæ Prosapiæ, ex qua Respublica solatium, & incrementum gloriæ assumpserat, comprobante argumento. Placet ILLVSTRISSIME & EXCELLENTISSIME DOMINE, *in Tuorum panegyrim meritorum, Antecessorum Tuorum summè splendida, in memorem Orbis producere faciem lumina, quæ velut inter ignes Luna minores, Patriam sacris, heroicisq; virtutibus serenabant; vt non iam honores, sed Capita æstimarentur, quibus decor è meritis & amplitudine virtutum responderet. Præibat pulchrum Avitæ Tuæ Gentis sidus* BOSVTA *Gnesnensis olim Archiepiscopus, pulchro documento meritorum, quali ad Infulas Antistites vocarentur, ex felicitate honorum; vt penè nulla Cathedra in Lechio Orbe sit, quæ non* LESCINIOS *ambiuerit. Habuit sibi succedaneos Archiepiscopos, Gnesna, Primitialis sedes,* ANDREAM & VENCESLAVM, LESCINIOS, *optimo augurio honoris, quàm illa vellet Pontificum condere seriem. Gloriatur* VLADISLAVIENSIS *Infula,* FRIDERICO; RAPHAELE, *Plocensis, & Premisliensis vna simul gaudet. Ex intervallo deinde Camenecensis, Culmensis, Lunecensis Infula Gnesnensi Prodromæ,* ANDREÆ LESZCZYNSKI *eminentiæ prabuêre splendorem: Varmiensis Tiara hucusq; celebrat* VENCESLAVM, VLADISLAI IV. *Paranymphum:* KIIOVIENSIS IOANNEM *laudat: Luceoriensis* NICOLAVM *in Pontificum exemplar insigni exhibet praconio: ipsum tandem sacrarum Purpurarum agmen claudit* BOGVSLAVS, COMES *in* LESZNO

LE-

LESZCZYNSKI *Episcopus Luceoriensis, Abbas Cervinensis, integritate vitæ & amplitudine meritorum toti quâ latet patet Orbi celebratissimus. Ante Heroicas Senatoriasvè Curules, occurrit primò* PRÆDISLAVS Comes *à* Leszno LESZCZYNSKI *Palatinus Calisiensis, Regium munus absente* LVDOVICO *Rege agens: sesequuntur deinde serie quâdam nunquam moritura gloriæ,* ANDREAS Comes *à* Leszno LESZCZYNSKI, *Palatinus Brestensis,* RAPHAEL *pariter Palatinus Brestensis;* VENCESLAVS *Calisiensis,* RAPHAEL *Belsensis,* ANDREAS *Derptatensis,* VENCESLAVS *Podlachiæ,* IOANNES *Lanciciensis, Palatini, summis Patriæ negotijs & curis ferendis cælitùs destinati Senatores. Prodeunt longo ordine alterius Subsellij Nomina,* RAPHAEL *Castellanus Posnaniensis,* DOBIESLAVS *Castellanus Premisliensis,* IOANNES *Castellanus Sremensis,* IOANNES *Castellanus Naclensis, Magnæ* Illvstrissimæ Domvs LESCINIÆ *Bases, & summa, omni æuo immortalitatis charactere, in cordibus Posterorum sculpenda columina. Antecedunt quoq; innumera pervetustæ huius Gentis Numina,* VENCESLAVS Comes *à* Leszno *Supremus Regni Cancellarius,* ANDREAS *pariter Regni Cancellarius,* PRÆDISLAVS *Maioris Poloniæ Generalis,* RAPHAEL I, RAPHAEL II, RAPHAEL III. *&* VENCESLAVS *Maioris Poloniæ Generales meritißimi,* RAPHAEL *Supremus Thesaurarius Regni ac Procancellarius;* IOANNES *Cancellarius Regni, Generalis Maioris Poloniæ, ac tandem Palatinus Cracoviensis;* RAPHAEL *Regni Mareschalcus. Adstant & reliqua* LESCINIÆ Domvs *decora,* RAPHAEL *Succamerarius Calisiensis;* VLADISLAVS *Succamerarius Posnaniensis,* VLADISLAVS *Succamerarius Brestensis,* ANDREAS *Dubinensis,* BOGVSLAVS *Radzieioviensis,* IOANNES *Varecensis,* IOANNES II. *Radzieioviensis,* IOANNES III. *Radzieioviensis,* ANDREAS *Naclensis, Gubernatores, & Sexcenta alia summorum meritorum ingentia Nomina, quibus non hæc laudis pagina, sed immortales fasti in perenne assurgunt monumentum. Assurgo tandem & hîc in profundæ venerationis cultum, Magno Nomini* ILLVSTRISSIMI & EXCELLENTISSIMI DOMINI D. RAPHAELIS *à* LESZNO LESZCZYNSKI *Palatini Lanciciensis, Maioris Poloniæ Generalis, Parentis Tui, supra id omne, quod de Eo, dici debet maximi; stupenda eius factorum exempla, quis vspiam iusta comprehendet*

Panegyri, cuius virtutem animi, Patria, pulchris ampliata facinoribus; vicina Provincia, amplißimis decorata meritis stupent miranturq;. Huc accedit pariter Fulmen, & Terror Orientis, veneranda militia nostra Maiestas ILLVSTRISSIMVS & EXCELLENTISSIMVS DOMINVS D. STANISLAVS IABLONOWSKI, *Castellanus Cracoviensis, Supremus Exercituũ* DVX *&c. &c. Avus Tuus, &* IOANNES IABŁONOWSKI *Palatinus Volhynia &c.* ALEXANDER *Vexillifer Regni &c.* STANISLAVS *Gubernator Boguslaviensis &c. Avunculi Tui, totaq; coniuncta* IABŁONOVIORVM *Augusta Domûs.* OPALENIORVM *pariter felicißima & aeterna Nauis adest, vt penè Vniuersam Lechiam in Tui Nominis honorem habeas vectigalem. Quo circa tot & tantis praestantißimis meritis longa Heroum serie, & virtute Maiorum partis, ore Patria condignam panegyrim referre, non opus est nostra: Vnicum mihi superest studium, vt tam gloriosis virtutibus Tuis, Avita succedant honorum fastigia, vt Patria amplißimis meritis exornata, Tibi sit in decus immortale, & Pallas Academica in perennem gratiarum protectionisq; recognitionem, quod profundißimo exopto voto.*

TUÆ ILLUSTRISSIMÆ,
& Excellentissimæ Dominationis,

Devinctißimus & humillimus Cliens,
ALBERTUS TOMASZEWSKI.

B. JOANNI CANTIO,

S. Theologiæ Doctori, & Professori, Regni Poloniæ, & Almæ Vniversitatis Crac: TUTELARI, & PATRONO.

Corona aurea in triumphis olim præferri solita pretiosissimis gemmis intertexta.

CUM LEMMATE:

Æterno Lumine lucet.



Emmifer quidquid niveis Oaxis,
Fluctibus profert, pretijq; Ganges,
Quidquid aurato radians metallo,
Littore condit.

Id Tuo totum minus est honore,
Grande Lechæi Columen Trionis,
Inclytum, CANTI, decus & togatæ
Gloria turbæ.

Tota splendoris facies, & omne
Lucis augustæ jubar eruditum
Cedit in cultum, Tibi summa condunt
Astra triumphum.

Candor elucet pretiosus in Te,
Atq; virtutum sociatus ordo
Aureo fulget radiatq; claræ
Lumine vitæ.

Cor Deo gratum quoties dicares,
Igneâ flammâ quoties Cathedris
Sacra doctrinæ populi ad salutem,
Munera ferres:

Aureo dono toties micabas,
Atq; palmaris Tua charitatis
Virtus, assumpsit decus & perennem
Laudis honorem.

 Ergo

Ergo dum palmas capimus virentes,
Atq; primævum pretium laboris,
Sub Tuo Sacro Pater alme Scuto
Præsidioque :
Protegas Laurus ut in auspicatam
Pullulent messem; tenebrasq; si quæ
Mentium cedent, radio sacrato, &
Lumine pelle.
Dum Tuis nullos meritis honores,
Ferre possimus; Tibi cedat unde,
Omnibus gemmis potior beatæ
Gemma Coronæ.
Hanc Tuis proni ferimus per aras,
Supplici voto ut Iagelonis Ædes,
Atq; Musarum foveas perenni,
Lumine Laurus.

Perillustri & Reverendissimo Domino,

D. M. SEBASTIANO PISKORSKI,

J.V. Doctori & Professori, Ecclesiarum, Cathedralis Cracovien: Canonico, Collegiatarum, SS. Omnium Crac: Archidiacono, & Vielunen: Canonico, Scholarum Novodvorscianarum PROVISORI, Almæ Vniversitatis Cracoviensis PROCANCELLARIO MERITISSIMO.

Gazophylacium gemmarum, è tertio olim Pompeÿ triumpho Romæ summo honore habitum.

CUM INSCRIPTIONE:

Omnia summa.



Vccedis Divæ sancito jure Coronæ,
Aoniæ Rector Turbæ, cætusq; togati
Arbiter, ingenio superans conamina laudum,
Major quam dici, vel scribi carmine possis.
Sive etenim fando, scandit Tua Svada Cathedras,
Aut Sacris redimita mitris, cælestibus æquat
Officiis hominum mentes, animosq; feroces,
Civili eloquio flectit: volumine vincit,
Quæ vel prisca ætas grandi molimine rerum
Protulit; aut nova concordi gravitate locuta est.

Et Tacitum, Plautum, Varronem Quintilianum,
Atq; catenatos, veterum comprêndis honores.
Quidquid Legifero producit Sparta Lycurgo,
Attica firmatum celebrat quod jure Solonis,
Quidquid laudauit Scythicis Anacharsis in aruis
Et quod sudârunt Latialibus indere libris
Insignes animæ; totum hoc complecteris arte.
In Te Diua Themis veri iustiq; bilances
Spectandas posuit, summi fastigia honoris
Contulit arbitrioq; Tuo, quo Nomina firmes
Multorum, statuasq; viros, & jura Cathedris.
Iam Patriæ leges, Regniq; statuta Poloni,
Normaq; justitiæ externæ, sacrumq; tribunal,
Et Civile forum, Te consultante vigorem
Et priscos fasces & lumina maxima sumunt.
Parnassum Cracium, Divi Iagelonis & aulam
Ordine firmâsti celebri. Tu Nobile Sceptri
Rectorale decus toties in cardine rerum
Magnanimo nisu summa virtute tulisti;
Omnibus ad placitum factus; Magnoq; Ioanni
Ex animo felix; Aquilis Radiuilanis
In speciem datus, vt primæui in lumina solis,
Te Chirone acuant animi mentisq; pupillas:
Accedit pietas, probitas, ac integra vitæ
Norma, ac exemplar morum, gratissimá Divis
Mens intacta, labor summus, constantia demum,
Et vigiles curæ, studijs nunquam obruta virtus,
Ætates hyemesq; graues sufferre parata.
Ætati minimè parcis, nec pondere fessus
Tot rerum; fabricas ædes & pergama Stoæ
Nullo subsidio fultus; monumenta librorum
Hoc studio condis; quantum prudentia rerum,
Continuvs valeatq; labor, tali ordine monstras,
Factus, venturi cunctis exemplar in æui.
Ferre igitur tantis meritis condigna trophæa
Non opis est nostræ merces celeberrima laudis,
Ipse Tuæ cùm sis, superans mellita canendi
Dogmata; Pompeij gazæ gemmæq; sacratæ,
Romuleæ gentis Statori, præmia demum,
Queis Capitolini quondam nituêre triumphi,
In decus æternum Tibi sint & laudis honorem.
His Tu Nestoreos supera fausto ordine tractus,
Atq; Tuis meritis fias pretiosa coronis.

CLARISSIMIS, EXCELLENTISSIMIS,
ET ADMODVM REVERENDIS DOMINIS

DD. EXAMINATORIBVS,

Clarissimo & Admodùm Reverendo Domino,

D. M. GASPARO BENEDICTO KAWALCZEWSKI,

Philosophiæ Doctori, Collegæ Maiori, Regio Professori, S. Annæ & SS. Omnium Canonico, ac interea Philosophicæ Facultatis,

D E C A N O.

Clarissimo & Admodùm Reverendo Domino,

D. M. MARTINO OSLINSKI,

Philosophiæ Doctori, Collegæ Maiori, Regio & Tyliciano Professori, S. Annæ Canonico.

Clarißimo & Admodùm Reverendo Domino,

M. ANDREÆ BVCHOWSKI,

Philosophiæ Doctori, Collegæ Minori, Contubernij Iagel: Seniori

In argumentum debitæ gratitudinis & obseruantiæ, cedunt Margarithica sacra, à Dictatore Iulio, instituta, in honorem Margaritharum, quas ille Deorum oculos appellauit.

C V M L E M M A T E.

Sic honorantur, quos æqvus cum Phæbo Iupiter amauit,



Astalium pete penna vadum, sacriq; fluenti
Largifluos hauri latices, & diuitis aluëi
Flumina Parnassi circum spumantia colles
Obsequijs vndare nouis in carmina discant.
Tuq; o Aonij Præses supreme Palatîj
Agmen ouat cûi Cecropium cui plaudit amœnus,
Gestibus exultans numeroso numine Pindus
Da faciles in Verba modos, tenuisq; Camænæ
Profer inornatum, laudum per summa Cothurnum.
Tu mihi Philosophi semper memorande Senatus,
Princeps Sydonio multum decoratus amictu
Diceris & summas reples in carmine partes
Docta KAWALCZEWSKI cumulat; cui munera Pallas.
Socratico cùm rixa calet commota tumultu
Multaq; doctiloqui feruent in prælia cœtus,
Quantus ades qualisq; tuis spectandus in armis
Tela tuo Vibras nimis exornata labore!
Protinus abstrusi soluuntur vincula veri,
Miraturq; sui patuisse arcana profundi

Ipse

Ipse Sophus, gaudetq; suos audire labores.
Iam decus eloquij labentiáq; impete multo
Flumina certatim teretes vndantia gemmas
Quid memorem! Sacris nimis hac vulgata cathedris
Dulce sonant, animos iam iam inuasura stupentes:
Sed tenues Musæ numeri sorbentur ab ipsa
Luce triumphali laudum. tamen amplius inde
Surget honos numeris quod non laudabere dignis.
At tibi qui laudum tituli, quæ copia fandi
OSLINSKI Craciæ decus immortale Camænæ
Assurget pronâ dotum in præconia venâ
Cùm tua Philosophi perplexa negotia Regni
Mens agitat, cùm veridici mouet oris Aquinas
Haud faciles in verba nodos, Tu cuncta citato
Ingenio penetras, patet id quod crassa supinâ
Mentibus in multis tegit ignorantia nube.
In Te Tyliciæ decus Augustale Palestræ
Munere procumbit stabili, fandiq; facultas
Tullia, dulciloquo residet cumulata lepore.
Seù tua præcelso Regum ad fastigia nisu
Penna volat, seù Præsuleis innexa Tiaris
Munera describit laudum, trabeasq; rubentes;
Sæcula victuris vehit in præconia fastis,
Diues abundanti se monstrat vena paratu,
Ipseq; dum laudas alios laudabere semper
Famaq; longinquo curret per sæcula tractu.
Nec Te quem niueis virtus portata quadrigis
Ipsa vehit Lechicos circum spatiata triones
BVCHOWSKI indocili linquet mea Musa Cothurno.
Te Rhodanus Tybrisq; suo miratus ab alto,
Motoq; Europæ permixtus sanguine Rhenus
Vidit, vt egregijs alieni sideris hospes,
Dotibus excelsos semper sequereris honores.
Sidera quàm varios cæli, sinuentur in orbes
Clara Poli quo monstra meent, vetus incola cæli
Saturnus qua parte manet, Cyllenius & qua,
Atq; Gyganteis clarus Iouis ipse triumphis
Noscis, & astriferum felix comprêndis Olympum.
Hinc dum Regifici pandis pollentia Scuti
Prodigia & calamo, circumuallatus ab vmbris
Magnanimos sequeris Manes, Regiq; Secundo
Maxima Sarmatici celebras primordia Sceptri;
Ibis ad immensos fama haud morientis honores
Pennaq; Letheos superabit fortius amnes.
Ibitis & memores semper recolendus in annos
Ternio, Vos seris narrabunt sæcula fastis.
Nunc faustis implete dies successibus almos
Stamina felici vitalia voluite penso.

ANNULUS DESPONSATI HONORIS.

I. V. & A. R. D. MATHIÆ NALEPINSKI,

Canon: Regul: SS. Sepulchri Domini Hierosolymitani, Con: Miech: Professo,

Alectorias gemma, quâ Milo olim Crotoniensis vsus, in certaminibus inuictus habebatur; cui in sculpta CRUX duplicata, Insigne auitæ Religionis & Gentilitium Stemma.



CUM LEMMATE:

Ex vtroq; decus.

Quæ pietas servat summi monumenta trophæi;
Hæc notat armato, CRUX sociata PEDE.
Additur his virtus, pietas, Sapientia clara,
Et pulchris meritis vtraq; suada nitet.
Quâ NALEPINSKI! sublimia dogmata soluis,
Exemplo firmans optima dona animi:
His toties ornas Sapientum docta Lycæa,
His pretium laudis, robur & omne capis.
Ergo Palladijs meritis dum condis honores,
Te locet in summo CRUX duplicata gradu.

III. V. D. JOANNI LASKOWSKI,

Beryllus gemma, adamanti similis, in altissimis montibus nascitur, cui auitum Stemma in sculptum KORAB.



CUM INSCRIPTIONE:

Felicibus ventis.


Æquoreos fluctus scindit felicior Argo,
Et diros nimbos per mare tuta Rates.

Despi-

Despicit: Aonÿs velis felicior aura,
Dum Tibi LASKOWSKI dum Zephyriq; fauent.
Æsonidem superas Colchorum Regna ferentem,
Ingenio celeri vellera docta vehens.
Promptus te mentis vigor & facundia lingua,
Commendat probitas, & sociatus honos:
Hoc per fallaces Scyllas, timidasq; charybdes,
Securus Stoæ ad littora peruenies.

IV. V. D. ALBERTO WASNIEWICZ Posnan.

Chrysolithus gemma coloris aurei cui tres ROSÆ insculptæ.



CUM LEMMATE;

hoc LUMINE vernant.

HEsperidum colles fragrent pulcherrimo odore,
Perpetuis vernent floribus atq; suis.
Flos superat roseus cunctos cultissimus herbis,
Quem tua WASNIEWICZ florida [illegible] habet.
Scilicet insigni clares Atlantis honore,
Sidereum mentis munere lumen habens:
Te celebrat dulci elogio divina Mathesis,
Suadaq; civilis vernat in ore Tuo.
Ergo virescenti, vireas cum Pallade, Lauro,
Te doctæ frondes, Te decorentq; ROSÆ.

V. V. D. MATHÆO LEWKOWICZ Posnan. Seniori Scholæ Neosandecensis.

Draconites gemma, coloris translucidi è cerebro Draconis nata in qua sculpta tria LILIA.



CVM LEMMATE:

His Virtus clarior exstat.

FRustra laurigeris adolent floralia baccis,
Atq; suu frustra campus odore patet.

Pulchri-

Pulchriùs Alcinoi candor lucescit in horto,
Quando LEWKOWICZ! candida verba facis.
Tecum congeniti sunt dignæ laudis honores,
Et linguæ sermo gratus vbiq; nitet.
Præcedit pariter comptiq; modestia vultus,
Ad Stoam tendit promptius ingenium.
Has quare pulchras animi, tria LILIA, dotes,
Condecorent, hilares inde ferantq; dies.

VI. V.D. STANISLAO GRELECKI,

Eusebes gemma, Tyri, olim in Herculis templo sedem adornans, in qua Ceruus in aqua natans.



CUM LEMMATE:

Hac requie scientia claret.

INgenij dotes mergantur flumine frontis,
Ad quod GRELECKI mens Tua deproperat.
In placidis CERVUS peragrando cernitur undis,
Lentaq; dimotis brachia iactat aquis.
Sic Tuus emergens animus summiq; labores,
Continuum laudis promeruêre decus.
Dulce putas Stoæ fluctus tranare profundos,
Cunctari Scyllas difficilesq; Sophûm.
Vnda ergo ingenij decoret Te limpida semper,
Castalij celebrent Te quoq; fontis aquæ.

VII. V. D. GASPARO PACHOWSKI,

Fons solis, vulgò gemma Solis dicta, ad speciem sideris, in orbem fulgentis spargens radios, in qua tres ROSÆ sculptæ.



CVM INSCRIPTIONE:

Virtus his sola probatur.

NOn rubuit vultus dum prælia docta gerebas,
Ac ubi Palladio carmine promptus eras.

Felix

Felix PACHOWSKI, virtus Tua vernat honore:
Scilicet innatus quem decet iste color.
Oris honos placidi, rigidi argumenta laboris,
Ac promptum ingenium, sunt Tibi terna ROSA.
His cresces altiùm, referesq; insignia laudis,
Florebis demùm floribus his roseis.
Ergo palmaris doctrinæ dignus honore,
Fac Tecum vigeant Laurea serta Rosis.

VIII. V. D. JOANNI CYRUS Crac.

Glossopetra gemma [redacted] *rescente Lunâ cælo decidens cui Gentilitia* [redacted] *agitta insculpta.*

CUM [redacted] LEMMATE.

Sub hoc Signo [redacted] triumpha.

IAm tibi non galeam, nec acutæ cuspidis hastam,
Porrigit in campo Martius Umbo suo.
Pulchriùs in Patria velox tellure relucet,
Quàm Geticis bellis, fixa sagitta Tua.
Hæc Tibi Gentiles renouat pro munere fastis;
Hâc Patrius, meritis fulget honoris apex:
Hanc, CYRUS! pietas, virtutis candor & ipse,
Commendat pariter suada, & avitus amor.
Ergo ad sublimes Laurus Hac auspice perge,
Atq; sub hoc signo prospera quæq; geras.

IX. V. R. D. ANASTASIO SLOMINSKI,

Canon: Regul: SS. Sepulchri Domini Hierosolomitani Conv: Miechov: Professo.

Hyacinthus gemma similis amethysto, cui in sculptum auitum Religionis Stemma, Crux rubea, penes quam Lilium.



CVM LEMMATE:

Religionis amor.

Romuleis Asiam quondam Mars victus ab armis,
Victori populo clara trophæa dedit.

His sociata manent candoris symbola clara,
Candida cum rubeo Lilia flore nitent
Dona hæc SŁOMINSKI quidni Tibi cusa metallo,
Virtuti patriæ conuenientq; Tuæ.
Adstant ingenij dotes, suadaq; disertum
Nectar adest; adsunt omnia clara Tibi,
Religionis amor, pietas, Studiumq; togatum,
Tecum florebunt munere perpetuo.

X. V.D. FRANCISCO KROBSKI,

Iouis gemma candi [redacted] *la Heroibus olim summis cara. in* [redacted] *ua auitum Stemma sculptum, Ro* [redacted] *a circa quam tres STELLÆ,* [redacted]

CVM [redacted] INSCRIPTIONE:

His vernat [redacted] in astris.

MEns hæc nativæ virtutis vernat in orbe
Palladio, Sacræ quam coluêre DEÆ.
Flos roseus KROBSKI Tuus hic resplendet honore,
Ac atauo meritûm pignore ad astra locat.
Hinc Patruus sangvis, Maternum lumen & illinc,
Utrorum ast virtus clarior ipsa micat.
Ingenio præstas, sed Tu, quoq; dotibus altis
Dumq; Sophûm Studijs ora diserta refers.
Ergo dum triplex decorat Te lumen ab astris,
In decus æternum Tu niteasq; Rosâ.

XI. V.D. ALEXANDRO JODŁOWSKI,

C *Karbunculus* *gemma igniti coloris,*
noctibus lucens ra *dijsq; refulgens, in*
qua avita *Sagitta per mediam*
transmissa *soleam sculpta.*

CVM LEMMATE:

Sic virtus probatur.

VIctorem si quem Gradiuu prælia norunt,
Ante pharetratum iam arma habuêre suum.

Et Tibi;

Et Tibi non deerat feruor virtutis in ore,
IODŁOWSKI quoties, munia docta dares.
Nil metuas scopulos vincet Tuus omnia sudor,
Indole Monstra cadent sedulitate labor:
Te Themidos Sacra spectabunt munera dignum,
Et meritis facilis Iustinianus erit.
Perge vijs Patrui, Soleæ vestigia sume,
Prospera virtuti quæq;, sagitta feret.

XII. V.D. STEPHANO KROBSKI,

Lunæ gemma dicta olim Selenites, quòd imaginem Lunæ in se contineat, cui auitum Stemma insculptum, Rosa circa quam tres Stellæ.



CVM INSCRIPTIONE:

Teste Cælo.

VAstis emineat pharetrata Semiramis hortis,
Et placidis vernet solus Hymettus agris.
Pulchrius innato virtus splendore renidet,
Quam laudis meritis, & pietate colis.
Virtutis comes suada est & facundia linguæ,
His cunctis præstat, promptius ingenium.
Teq; ipsum toti laudatus Avunculus orbi
Commendat, studio & nobile monstrat iter.
Dotibus his ergo, roseo & dum munere vernas,
KROBSKI sideribus sis decus ipse Tuis.

XIII. V.D. CASIMIRO BALCERKOWSKI,

Morion gemma Indica intermixta colore Carbunculi, cui insculpta tres Rosa suis in fruticibus.



CVM LEMMATE:

Sic par est sumere laurus.

Semper *Musarum vernantes collige flores,*
Alcinoi croceus Te decet iste decor:

Quem Tu tinxisti largo sudore laboris,
Candidior splendet, quem Tua facta probant,
Tullius eloquio suadam, nodosa Sophorum
Argumenta refert, datq; fluenta sli:
His robur pretiumq; dabit diuina Mathesis,
Ingenio vt vireat fama decusq; Tuo.
BALCERKOWSKI, ergo dum tanto lumine clares
Arment Te dotes, Te decorentq; Rosæ.

XIV. V.D. FRANCISCO KOWALSKI,

Narcissites gemma referens, cui Stella in sculpta *Narcissi colorem re- supra alas struthionis*



CVM INSCRIPTIONE:

Ad sidera tendit.

CVrsum velocem gessisti in limine docto,
Robore dum fueras fortior ipse Tuo.
Præbueras callem virtutis promptior alis,
Pollens KOWALSKI viribus ingenij.
Sidera iam tantis cedunt virtutibus ipsa,
Quas solers studium magnaq; cura dedit.
Testantur dotes expertæ & dogma Sophorum,
Qu d toties facilè solvere promptus eras.
Ergo felices lauros hac dote capesse,
Ars in sublimi Te statuatq; gradu.

XV. V.D. CASIMIRO PRZYBYLOWSKI,

Opalus gemma in India solùm nascens, Nobiliorum gem marum colores o- mnes in se vno complectens, cui in- sculpta auiti Stem matis Sagitta cruce gladij, binisq; Stellis insignita.



CVM LEMMATE.

His valet atq; coruscat.

NObile virtutis germen non quærit honorem,
Ipsa sibi virtus summus honoris apex.

Atta-

Attamen innatas dotes celebrare cothurno
Præstat, quas genio mens generosa dedit
Docte suo PRZYBYŁOWSKI, dum sidere bino
Ac Cruce resplendens missa SAGITTA Tua
Ingenium velox monstrat, quod fudit Apollo
Ipse Tibi arcitenens, os Ciceroq; dedit.
Phœbeumq; iubar celsos Tibi spondet honores
Inde Tuum virtus nomen in astra feret.

XVI. V. D. PETRO ZAWADA,

Pyropus gemma flammæ colorem referens, cui aui ta Anchora in sculpta.



CUM LEMMATE:

Hac comite.

FAusto navigio situatur prora laborum;
Quam Tua Castalijs Anchora duxit aquis.
Artibus emensus, tot limpida flumina, tandem
ZAWADA tutum littus honoris habes.
Hoc Tua promeruit suada, & peracuta Sophorum
Dogmata mens promptè solvere cuncta potens.
Cultæ ac ngenij dotes morum Studiumq;,
Virtutis toties fluctibus hoc petijt.
Ergo Maiorum meritis & nomine partam
Virtutem, firma laudis honore Tuo.

XVII. V. D. MICHAELI SZUMOWICZ, Crac.

Quiritis gemma, ideò dicta quia Quiritibus sacra, vulgò Sardo-niches, cui Stellæ & duæ Cruces insculptæ.



CUM INSCRIPTIONE:

Hæ spondent trophæa.

AUgustum meruêre diem; quos sidera celsa
In virtute regunt, claraq; facta probant.

Nec patitur tenebras, cùi Cynthia candida lucet
Pallantis radio, quæ vehit axe diem.
Fulges SZUMOWICZ merito virtutis honore,
Excelsâ dotum mente Sophos penetrans,
Qui vehemens animo, Latia linguâq; disertus,
Rostra Oratorum nectare docta reples.
Te crucibus decoras, mediatô sidere faustum,
Hîs vinces curas, altaq; dona feres.

XVIII. V. D. STANISLAO WOLSKI,

Rhodites gemma coloris rosei, cui trina pectora insculpta, vnum in medio gladio trans fixum.



CUM LEMMATE:

Procul este Profani.

HErculeus mucro transfigit pectus eburnum
Inter trina unum, vulnera facta refert.
Dulci quis dubitat, Patriæ hoc in Sanguine mergi;
In quem doctrinæ spicula fixit amor.
Sanguineo WOLSKI decuit te ferre labore,
Munera, quæ virtus viuida promeruit,
Quæuè Tibi Pallas spondet, quæ docta Minerva,
Et meritis iustis præmia larga feret.
Suscipias igitur condignas fronte coronas,
Sub quibus evades cuncta pericla mali.

XIX. V. D. FRANCISCO MATERSKI,

Sapphirus gemma summo pretio apud priscos habita, cui Crux equestris stipata lilijs insculpta,



CVM INSCRIPTIONE:

Candor utrinq;

SEdibus athereis splendet Crux lumine claro,
Quam decorat pulcher candor odorq; Tuus.

Hoc

Hoc insigne decus doctæ Tibi mentis honorem
Connotat, ac animi munera digna refert.
Lilia Palladio clarent candore per orbem,
Et sunt doctrinæ Symbola clara tuæ.
Quæ Tu MATERSKI facundis condecorâsti
Verbis, purpureas dum loquebâre rosas.
Exstiteras promptus studijs, quem lingua diserta
Fecerat, ac doctus cum probitate manes.

XX. V. D. MICHAELI BELLINA,

Topazius gemma inter tres Soleas sculpta. viridis coloris, cui obuersas Crux insculpta.



CVM LEMMATE:

Inter ardua lucet.

PErplexum trivisti iter ad virtutis honorem,
Ut facili gressu præmia summa petas.
Trinis armatæ soleis Crucis alma locasti
Culmina, quæ virtus clarior ipsa tenet.
Doctrinæ tempus longo sudore paratum,
Ingenij claro lumine condecoras.
Tu recreas animos linguæ BELLINA fluento,
Pectora facundus nectare Castalidum
Permulces; doctis in rostris dogmata solvis,
Mens Tua tot meritis clarior vnde nitet.

XXI. V.D. JACOBO SIERZYCKI,

Vegentana gemma obus gladiis transfixum, ex quo lilia prodeunt Italica cui cor dufixum, ex quo lilia insculptum.



CVM INSCRIPTIONE:

Perpetuus sine vulnere candor.

CAndescunt transfixa nouo duo signa cruore,
Et pro vulneribus lilia pulchra scatent.

Hæc Tua SIERZYCKI generosæ insignia mentis
Quæ meruit studium munera, robur habet.
Non rubuit vultus dignos sufferre labores,
Nec solers animi tædia cura tulit.
Omnia gessisti felix in culmine celso
Parnassi Sacri, carmina docta ferens.
Te viridi lauro facundus Apollo coronat,
Candida perpetuò lilia Te decorent.

XXII. V. D. JOANNI KUBESZOWSKI,

Smaragdus gemma viridis & translucida, cui Aquila in duplici monte, rostro portans Lauream, insculpta.



CUM LEMMATE:

Felix nuntius.

Hesperijs dudum summæ fastigia laudis
Montibus elucent, est & honoris apex.
Virtute ac meritis KUBESZOWSKI hæc culmina scandis,
Summum virtutis quò Tibi monstrat iter.
Lauro Te dignum frondenti nuntiat Ales,
Quam binis sistens montibus ore gerit.
Ingenium præstans, quali mens docta probatur,
Suadaq; facundo diffluit ore Tuo.
Perge bonis avibus, mens hæc Tibi proderit olim
Mille Tibi census, commoda mille feret.

XXIII. V. D. STANISLAO WARISKI,

Iaspis gemma ex viridantium genere cui Liber revolutus inter duas palmas, insculptus.



CUM INSCRIPTIONE:

Ab his decor.


Ingens librorum spectaris cultor & artis
Ingenuæ, Nomen doctè perenne ferens.

WARY-

WARYSKI; pulchro laudis celebrande cothurno,
Quem meruit præstans vsus in orbe Tuo.
Te suauis sermo commendat, & utraq; fandi
Lingua valens calamo, mentem animumq; Tuum
Cælo Te dignum censet diuina Mathesis,
Quæ cælo meritis omnia digna geris.
Quare dum summi scrutaris sidera ol mpi,
Te redimant lauro, Te decorentq; rosis.

XXIV. V.D. VALERIANO WECHALSKI,

Zanthenes Medis gemma magnæ suauitatis odorem referens, cui Nobilitatis Insigne Solea. in cuius verticé & aliæ in extremitatibus Cruces duæ aureæ, insculptum



CVM LEMMATE:

Felix munimine tanto.

EX armis laudare virum non munere fungor
Hoc; quem Pieridum carmina docta canunt.
Victorem dicam Paridis qui prælia gessit
Quondam prudentis, Palladis in sabulis.
Hâc Tu WECHALSKI toties laudatus arenâ
Prodibas Heros fortior Herculeo
Robore, cûi virtus animi mentiq; favebat,
Et linguæ bonitas ingeniumq; potens.
Ergo Crucis felix hoc sub munimine perge,
Quo Tua Te virtus, quo bona facta vocant.

II. V.D. ALBERTO TOMASZEWSKI, AUTHORI OPERIS.

Achatem Pyrrhi Epirotarum Regis gemmam, in qua nouem Musa, & Apollo Citharam tenens spectabantur, naturæ ita discurrentibus maculis, ut Musis quoq; singulis insignia sua redderentur, cui autum insigne insculptum.



CVM INSCRIPTIONE:

Ad Parnassum.

In argumentum mutui affectûs & gratulatorij applausûs offert.

STEPHANUS KROBSKI,

NObilior Vates nostri celebrator honoris,
Quem dedit in laudes ingeniosus amor.

Quis Tibi par studio, simili candore laborem
Persoluet gratus, magne Poëta Tuum?
Te celebret Musarum ergo numerosa propago,
Alcæum, festo carmine pro meritis:
Et quem per multos illustrior aula fouebat
Annos, Mag atum gratia diligerat.
Gallica quêis placuit lingua, & Tua norma loquendi
His diuisa fuit, nunc cumulata placet.
Ipse Tuas ergo dotes extollat Apollo,
Et referat meritis Laurea serta Tuis.

ECHO
EIDEM AUTHORI OPERIS,
è voto mutui affectûs,
intra præcordiorum peripheriam,
Omnium, in Artibus & Philosophia, NEO-DOCTORUM,
plaudenti Iambo
RESONANS.

QUid UNICORNIS afferat TOMASZEVI? - *Æui*
Ævi perenne Nomen; in coronidem, - *Idem*
Idem Corona Nostra laude prædicat. - *Dicat*
Dicat Tibi favoris Echo tesseram, - *Seram*
Seram per auram, cuius Camænarum Chori - *Ori*
Ori meloden inferunt, & Palladis - *Adis*
Adis cacumen arduum. LESCINIO - *Io*
Io canens, celebras nostras LAUREAS - *Eas*
Eas adornans gemmis; lege muneris, - *Eris*
Eris per ævum Achates, hoc votum lego - *Ego*

CASIMIRUS PRZYBYŁOWSKI.

Eidem Authori Operis,
MICHAEL GABRIEL BELLINA,
EIUSDEM LAUREÆ LICENTIATUS,
pro Coronide Αντιπελαργιαν affectûs præstat.

COrnigeri monstrant gemini quos Stemmate gestas,
Vates, quàm multum mente beatus ades.
Nam Te & Amalthea manifestant vincere cornu,
Cùm satis Aonijs luxuries opibus.
Quas ornant gazæ solidæ virtutis, in aulis
Usus, Celtibero festus & ore lepos.
His præstans, segnem non sumes crede triumphum,
Cornigeri passus en vtriusq; notant.
Porro pro nostris, innixum, laudibus, alis
Te vehat ad summos inclyta fama Polos.

Permissu Magnifici Domini
RECTORIS.